



## **Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica**

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructæ

De Vacatione, Amissione, Et Extinctione Beneficiorvm ...

**Leuren, Peter**

**Coloniæ Agrippinæ, 1704**

617. An coram aliquo, & coram quo fieri debeat translatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74494](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74494)

concessione considerata potius persona, quam officium, vel dignitas, deducendum, sit Lott. *cit. q. 36. n. 87.* ex pondere verborum personalium tibi, item per te, & ex præmissione nominis proprii.

*Questio 616. An translatio pensionis fieri possit in articulo mortis?*

**R**espondeo affirmativè. Barb. *juris Eccl. l. 3. c. 11. num. 104.* (ubi: non est verum, quòd per translationem pensionis prorogetur servitus beneficii, & constat ex *Mantuan. pens. 4. Decemb. 1626.* ubi: quòd, quidquid Rota cœnuerit antiquitus hodie constat, & est receptissima sententia, quòd translatio etiam facta in articulo mortis non est novum gravamen) Lott. *l. 1. q. 40. à n. 55.* Corrad. *pr. benef. l. 5. c. 5. à nu. 45.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5. in fine.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 13. q. 1. editionis Colonienfis, de anno 1608.* ubi, dum respondet, non valere, error videtur esse typographi, & legi debere: non habere, nimirum locum, juxta quòd quæsitum erat, & ostendit ratio ab eo adducta.

**1.** Ampliatur responsio primò: ut procedat, si ve permittà translatione, censetur etiam permittum, eam fieri in articulo mortis, etiam si clausula: *etiam in articulo mortis*, quæ aliàs in concessione facultatum transferendi pensiones de stylo addi consuevit, ut Mandos. *de signat. grat. rit. translat. pens. non addesit*; siquidem dicta clausula potius ex superabundanti, quàm ex necessitate adjicitur. Lott. *cit. n. 55.* Corrad. *cit. nu. 45.* testans sic *decis. à Rota in Gadicens. pens. 25. Mart. 1541.*

**3.** Ampliatur secundò: ut, quemadmodum sustinetur testamentum factum à moribundo balbutiente & semimortuo, modò ad interrogationem Notarii, vel alterius potuerit exprimere mentem per simplicem vocem: *ita*, vel *non*; sic pariter sustinetur translatio pensionis à tali taliter facta. Lott. *loc. cit. n. 56. & 57.* Corrad. *loc. cit. nu. 47. & 48.* Quinimò etiam, sicut testamentum, & fideicommissum sustinetur factum à moribundo loquelà destituto, per nutus oculorum, vel capitis voluntatem suam declarantes; ita etiam translatio in hoc casu nutu fieri potest. Corrad. *loc. cit. n. 50.* Neque his contraria est Rota in *Portugallens. pens.* quia intelligenda de ita balbutiente, ut nullatenus intelligi posset, aut sciri, an dicitur: *ita*, vel *non*. Corrad. *n. 49.* Idem dicendum, dum nutus tales essent, quibus voluntas non satis declararetur, & sciri nequiret, an annuerit, vel renuerit.

**4.** Ampliatur tertio: ut procedat, etiam si à tali extorta fuisset translatio banditiis, & persuasivibus translatarii; nam neque blanditiæ, & persuasiones tales vitiant testationem, aut vitio vertunt blandienti, & persuadenti. Lott. *nu. 58. & 59.* Corrad. *cit. n. 9.*

**5.** Ampliatur quartò: ut non sit invalida à moribundo facta translatio, aut etiam desuper factum instrumentum, dum illud non fuit scriptum secundum jus aliquod singulare Provinciæ, alicujus solennitatem hanc omnino exigens in contractibus, & instrumentis, quæ super contractibus fiunt; cum materia hæc translationis pensionis non pertineat ad contractus; cum translatio hæc sit simplex actus, quem rogat Notarius, vel alius, & non sit contractus. Adde, quòd vix sit, ut hujusmodi consuetudines, aut pragmaticæ Laicorum juri communi superinductæ attendantur in instrumentis, quæ conficiuntur inter personas Ecclesiasticas. Lott. *n. 58. junctis n. 60. & 61.*

**6.** Ampliatur quintò: quòd locum non habeat in hac translatione regula de infirmis, ita ut, etsi infirmus transferens moriatur infra 20. dies, valeat

tamen translatio, utpote quæ mox, ut facta, sortitur suum effectum; dicta enim regula loquitur de resignante beneficium; jam autem neque translatio est resignatio, neque pensio est beneficium, nec appellatio beneficii comprehenditur. Corrad. *loc. cit. n. 46.* Sarnens. *ad hanc reg. q. 16. n. 2.* Castrop. *de benef. d. 1. p. 11. §. 9. n. 5. in fine.* Azor. *p. 2. l. 8. c. 13. q. 1. editionis Colonienfis, de anno 1608.* ubi, dum respondet, non valere, error videtur esse typographi, & legi debere: non habere, nimirum locum, juxta quòd quæsitum erat, & ostendit ratio ab eo adducta.

**7.** Limitanda econtra responsio primò: ut hucusque dicta intelligenda sint de tali moribundo, qui intellectum, seu rationem nondum amisit. Corrad. *loc. cit. n. 51.*

**8.** Limitanda secundò: ut nihilominus servetur in hac translatione modus, & forma tradita in literis, in quibus prædicta facultas transferendi conceditur. Corrad. *n. 54.* & sic hæc translatio fieri non potest per testamentum, Corrad. *ibid.* Garc. *p. 1. c. 5. n. 56.* non obstante *decis. Rota in Placent. pens. 17. Julii 1602.* ut ait idem Garc.

**9.** Limitanda tertio & principaliter: quòd fieri nequeat, & nullatenus valeat translatio, dum æger seu moribundus, & translatus ita conveniunt, ut translatio facta intelligatur, si transferens ex illa infirmitate decedat, aliàs non. Corrad. *loc. cit. n. 52.* Garc. *loc. cit. n. 55.* Lott. *l. 1. q. 40. n. 19.* ed quòd, cum per translationem extingatur antiqua pensio, & nova constituitur coram Executore, dicta facultas videatur non posse sibi vindicare locum, nisi in absoluta translatione; atque aded translatio sub conditione facta sit nulla. Garc. *cit. n. 55.* Sed de hoc postremo plura infra.

*Questio 617. An coram aliquo, & coram quo fieri debeat hæc translatio?*

**R**espondeo primò: Supponendo, translationem fieri vel ab ipso Papa, v. g. ubi translatio fit ex causa necessaria sustinendi gratiam reservationis pensionis confidentiariæ, de qua supra, dum nimirum reservata pensio in caput, & ad vitam alicujus in commoditatem alterius tertii, & ille, in cujus caput ea sine commoditate fuerat reservata, moriturus, seu occurrente vitæ periculo eam transfert in alium, hæc potest fieri (ut Lott. *l. 1. q. 36. n. 99.*) concessa illi in hoc eventu, ne gratia illa facta isti tertio aliàs frustraretur; in hoc enim casu fieri translationem ab ipsomet Papa tradit Lott. *l. 1. q. 40. n. 6.* Item subjungens *n. 8.* in hoc casu, cum nihil mutetur, nisi persona fiduciarii, hoc est, illius, in cujus caput sine commoditate erat reservata, fiatque motu proprio, nihil esse justificandum. Item dum fit ex certa scientia de consensu illius, cui facta illius reservatio, Lott. *cit. q. 40. nu. 7.* (& *n. 8.* subdens, in hoc casu nihil justificandum præter habilitatem pensionarii) illo ipso pensionario pro hoc, ut fiat, supplicante, si ve dum fit translatio in vi supplicationis, in qua petatur, ut pensio aliàs absque facultate eam transferendi concessa casletur, extingatur, & annulletur ad effectum, ut similis pensio in favorem alterius constituitur, seu reservetur, pro ut supplicat ille tertius, ut sibi ea assignetur, seu reservetur cum clausulis, & decretis in prima pensionis reservatione contentis. Paris. *l. 6. q. 4. n. 36.* ex Mandos. *de signat. grat. rit. translationes. col. 2.* Et sub hæc forma fit

ma fit translatio, dum in reservatione pensionis non fuisset concessa facultas eam transferendi. Paris. *ibid.* dicens, observasse se, difficulter tunc concedi dictam translationem, & non nisi pro personis valde bene meritis. Vel translationem fieri ab alio, cui nimirum ea facultas transferendi concessa (nempe vel eodem contextu, quo reservatur pensio, vel ad partem, seu extra hunc actum reservationis. Lott. *cit.* q. 40. n. 9. juncto n. 12.) vel demandata est. Papa enim aliquando facultatem hanc transferendi mandat personæ in dignitate Ecclesiastica constitutz, aliquando ipsimet cessionario concedit. Lott. l. 1. q. 40. n. 18. Et in utroque hoc casu, hoc est, sive Papa per seipsum pensionem transferat, sive eam ab alio fieri concedat, vel mandet, hæc perpetuo servatur forma, sitque translatio hoc ordine, ut pensio antiqua prius extinguatur, & dein nova reservetur ad favorem illius personæ, quam translaturum dicimus. Lott. *ibid.* n. 12. Idque ideo, ut in hac materia prorsus excludatur hæreditaria successio species, dum jus illud novum ad exigendam pensionem, quod creatur in translatorio, immediate illi fiat & dependeat à Papa; non secus, ac contingit in resignatione in favorem; dum nisi prius per acceptationem resignationis extincto omni jure resignantis, & inducta novâ vacatione, fit nova provisio resignatorio, ita ut hic nullum jus à resignante, sed solum à Papa nactus intelligatur. Nam pari modo translatio duos actus implicat, unum ex parte transferentis, & hic resolvitur in simplicem ejus consensum pro extinctione pensionis. Alterum ex parte translaturii, quo is insat & supplicat, novam similem pensionem sibi reservari, ita ut exactio istius novæ pensionis, quæ fit auctoritate Papæ, videatur moveri ab objecto personæ translaturii, non autem transferentis; quemadmodum in resignatione in favorem continuo contemplatur persona resignatarii. Lott. n. 13. 14. & 15. His itaque veluti suppositis,

2. Respondeo secundò ad questionem: Ante omnia itaq; diligenter inspiciendus tenor literarum, in quibus hæc facultas transferendi concessa pensionario (quarum literarum formulam vide apud Corrad. *pr. benef.* l. 5. c. 5. n. 10.) num demandata executio, seu ipse actus translationis, an verò conceitum quoque, ut ipse, pro ut maluerit, per se adhibito solo Notario ac testibus eam facere possit. Et in casu quidem primo, ubi in concessa facultate transferendi actus ipse translationis commissus alteri distincto ab ipso transferente, v. g. cuicumque loci Ordinario, vel alteri personæ in dignitate Ecclesiastica constitutz; diciturque v. g. *concedimus tibi, ut quicumque loci Ordinarius, vel Canonicus Metropolitana vel alterius Ecclesia Cathedralis, seu alia persona in dignitate Ecclesiastica constituta, à te quando-cunque in Romana Curia, vel extra eam, ubique locorum eligendus, vel eligenda, dictam pensionem de tuo consensu cassare vel extinguere, & postquam cassata vel extincta fuerit, unam pensionem annuam hujusmodi super iisdem fructibus Titio apostolicâ auctoritate reservare, constituere & assignare liberè & licitè, valeat.* &c. In hoc inquam casu, ubi vel hæc forma sola, & præcisè præscripta transferenti, vel etiam ubi is, dum id ei relictum liberum, hanc viam prælegerit.

3. Primò per loci Ordinarium in subiecta materia intelligitur non tantum Episcopus (uti eum solum intelligendum, si diceretur quicumque diæcesanus: vel etiam nomen Ordinarium adhiberetur in materia

P. Leuren, Fori Benef. Tom. III.

collationis beneficiorum, asserit Corrad. l. 5. c. 5. n. 29. *pr. benef.* per quod tamen credo, non vult exclusos illos, qui cum jurisdictione quasi Episcopali territorium, & quasi diæcesin habent) sed quicumque etiam alius habens jurisdictionem quasi Episcopalem. Corrad. *loc. cit.* sed & quicumque habens jurisdictionem ordinariam, ut idem Corrad. *ibid.* citatis Abbate & Gemin. Paris. l. 3. q. 11. n. 19. Ac ita unusquisque ex prædictis facultatem hanc transferendi poterit exequi. Corrad. *ibid.* Et consequenter videtur id posse Vicarius generalis Episcopi, cum jurisdictionem ordinariam habeat.

4. Secundò per personam in dignitate Ecclesiastica constitutam, quò ad effectum hujusmodi translationis faciendæ, venit Canonicus Cathedralis, adeòque, etsi in dicta facultate non fieret mentio Canonici Cathedralis, & dirigeretur talis facultas tantum ad personam in dignitate Ecclesiastica constitutâ adhuc talis Canonicus eligi posset à pensionario in Executorem dictæ translationis, & esse delegatus Apostolicus, seu reputari in dignitate Ecclesiastica constitutus, quò ad hunc actum translationis; etsi de cetero strictè loquendo Canonicatus cathedralis dici nequeat dignitas Ecclesiastica, ut tradunt. Zerol. in *pr. Episc.* p. 1. v. dignitas. Felia. in *c. pastoralis. de rescript.* & DD. communiter in *c. statutum. de rescript.* in 6. Lott. l. 1. q. 40. n. 24. *loc. cit.* n. 30. juncto n. 32. in fine. Nullatenus tamen, etiam in hac materia translationis Canonicus Ecclesiæ collegiatæ dici potest persona in dignitate Ecclesiastica constituta. Corrad. *cit.* n. 30. Garc. p. 1. c. 5. nu. 245. Et sic Executor hujus translationis esse non potest; etiam si in dicta facultate adderetur: *Canonicus Cathedralis, vel aliarum Ecclesiarum*: id enim intelligendum de Canonico Ecclesiarum Patriarchalium, & Primatialium. Corrad. *loc. cit.* Quin et si simpliciter diceretur in dicta facultate, faciendam translationem coram Canonico, adhuc commissio facta non videtur Canonico Collegiatæ, sed bene Canonico Cathedrali, tanquam, qui quò ad hunc actum censetur constitutus in dignitate Ecclesiastica, & aliàs censetur capax commissionum causarum. Corrad. n. 32. *ad initium* citans Garc. in *addit.* ubi paulò post. Proinde ut Canonicus Collegiatæ exequi possit hunc actum translationis, necesse foret, id in specie exprimi, dicendo: *Cathedralis vel Collegiatæ Ecclesiæ Canonicus*; pro ut quandòque in hac facultate expressum vidisse se testatur Garc. in *addit.* *ad cit.* nu. 245. Corrad. *loc. cit.* qui etiam n. 33. notat, quandoque committi dictam translationem Canonicis Collegiatarum insignium, De cetero per personam in dignitate Ecclesiastica constitutam comprehendi in ista commissione obtinentes dignitates in Ecclesia collegiatæ, indubiatum est, quidquid sit quò ad alia rescripta expressè directæ personis obtinentibus dignitatem in Cathedrali. Corrad. n. 31. ex Garc. ubi antè.

5. Venire quoque hoc nomine, & eligi posse in Executores hujus facultatis utriusque Signaturæ Referendarios; quia & hi in dignitate Ecclesiastica sunt constituti. Item auditorem Curie, & Clericos Cameræ Apostolicæ, Protonotarios Apostolicos; eò quòd & hi de per se habent dignitatem Ecclesiasticam, ut Sarnenf. in *proem. reg. q. 1. n. 5.* & Barb. in *addit. ad alleg. 106. n. 13.* Loquens etiam de dictis Clericis; & hoc quidem intelligendo pariter de Protonotariis, sive in Curia Romana & Urbe, sive extra Urbem, & dictam Curiam exi-

Cc 3

stenti-

stentibus, quia & hi, & ceteri in Curia existentes habent verè dignitatem Ecclesiasticam, ut tradit Corrad. n. 35. juncto nu. 36. juxta decis. Rota. 153. n. 14. p. 5. recent.

6. Ubi itaque juxta tenorem literarum concessionis hujus facultatis transferendi pensionem translatio faciendâ per talem Executorem à pensionario distinctum, erit quidem in hujus transferentis arbitrio, ex dictis personis in iis literis comprehensis unum seligere, seu assumere, quem ma- luerit. Corrad. num. 37. pro ut in dicta facultate id exprimitur per verba: *per reeligendus*. Nequaquam tamen coram alio, quàm in dicta facultate nomi- nato aut comprehenso fieri validè poterit hæc translatio; idque, etiam in loco, in quo fieri con- tingit translationem, nullus reperitur, aut repe- riri possit de personis contentis in dicta facultate, & transferenti instaret mors; cum delegatio sit stricti juris, & non extendatur de persona in per- sonam, maxime in causa transferendæ pensionis, quæ est odiosa. Corrad. n. 38. citans Garc. in addit. ad p. 1. c. 5. n. 245. Ne proinde tali casu contingere frustretur transferentis desiderium transferendi pensionem, poterit is constituere procuratorem ad sic transferendum in loco, in quo adest aliqua talis persona ex contentis in facultate. Non ob- stante, quod in ea dicatur: *concedimus tibi: & per re- eligendus*: cum juxta communem regulam facere quis possit per procuratorem, quod facere potest per se, nisi in specie prohibitum sit, etiam ver- semur in privilegio. Garc. p. 1. c. 5. nu. 246. & ex eo Corrad. n. 39. & Castrop. de benef. d. 1. p. 11. n. 5. Et sic Notarius ad id per pensionarium rogatus factâ assertionem pensionis sibi reservatæ super fru- ctibus talis beneficii, ipse constituit procurator- em N. ad transferendum, seu potius ad consen- tiendum translationi juxta formam in dicta facul- tate expressam. Quemadmodum etiam pro trans- latario absente stipulare poterit Notarius, suffi- ciente hac stipulatione, si postmodum apparuerit de acceptatione ipsius translarii, veluti per man- datum procuræ ad exigendum, idque etiam in ca- su translarii inscii de facta translatione. Corrad. cit. n. 39. qui n. 40. subiungit: advertendum, quod hujusmodi mandatum ad transferendum tantum sit validum, durante vitâ transferentis, & quod, si is moriatur ante factam dictam translationem, prædictum mandatum expirat. Porro de modo procedendi coram dicto Executore paulò pòst.

7. Respondeo tertio: In casu, quo concessa pen- sionario potestas transferendi coram solis notario, & testibus, pro ut quandoque conceditur perso- nis quibusdam Papæ acceptis, aut privilegiatis, ut sunt milites Lauretani, milites S. Petri &c. dictâ Executoris deputatione, & electione opus non est; cum enim ipse transferens tunc habeat pote- statem transferendi, alterius ministerium non re- quiritur. Castrop. loc. cit. Corrad. n. 41. Lott. l. 1. q. 40. n. 51. Sed neque Notarius ille tunc adhibetur, ut Executor, sed ut simplex Notarius, ad prom- vendam probationem factæ per ipsummet pensio- narium translationis, & non ut ipse jurisdic- tionem aliquam exerceat, seu ut admittat, casset, & postea de novo reservet pensionem, ut dictum de Executore, à cujus facto ipsa translatio dependet. Corrad. Lott. loc. cit. Poteruntque hi testes, & No- tarius esse laici, pro ut dicitur in concessâ illa fa- cultate transferendi. Corrad. cit. n. 41.

Quæstio 618. An, & qualiter in utroque casu hoc faciendâ translationis per Execu- torem; vel absque eo per pensionarium ipsum opus sit exhibitione facultatis transferendi?

1. Respondeo primò: In primo casu necessariò Judici, seu Executori electo intimandâ, & exhibendâ sunt literæ, quibus concessa pensio- nario facultas transferendi continetur; ita ut sine earum exhibitione Executori facta non teneat, seu nulla sit translatio. Garc. p. 6. c. 2. num. 11. citans quamplurimos. Paris. l. 6. q. 37. Castrop. loc. cit. Corrad. l. 5. c. 6. n. 41. Lott. cit. q. 40. n. 24. Siqui- dem alias procedere nequit; quia procedere ne- quit, quin ei constet juridicè de jurisdictione sibi concessa, quam (vel potius cujus notitiam juri- dicam) accipit ex vi exhibitionis harum literarum. Castrop. loc. cit. Ac proinde non sufficit, Executorem aliunde certiorum factum esse tam de facultate pensionarii ad transferendum, quàm de delegatione seu commissione in ea ad se directâ; cum hujus Executoris jurisdic- tio, ut Corrad. cit. c. 6. nu. 43. vel saltem jurisdictionis hujus exerci- tium, ut Lott. cit. q. 40. n. 26. (ubi delegatus po- test quidem habere jurisdictionem ante præsentatum rescriptum, at minimè illius exercitium, ju- xta c. super. 20. il. secundo. de appellat.) dependeat ex productione dictarum literarum, vi totâ, ut Lott. n. 27. ex Bald. stante inscientia vel ignoran- tia delegationis, seu in reali productione rescripti.

2. Hinc etiam non sufficeret, si prætendatur pensionarii facultas transferendi notoria; ut enim Judex suppleat ex notorio, requiritur notorium aut naturâ, aut lege; cujusmodi nequit esse priva- tum aut singulare negotium. Lott. n. 31. Quod, si ta- men dicta notoritas de dicta facultate deduceret ex eo, quod typis publicis expressa, & publica- ta in Curia, vel etiâ cum aliis Constitutionibus in- ferta Bullario, ut dum agitur de facultate transfe- rendi concessa Conclavitis, & aliquibus militis, sufficere potest. Corrad. cit. c. 6. n. 48. Lott. n. 32. ex Gratian. discip. forans. c. 551. sub n. 18. ut eum citat, Lott. vel 11. ut eum citat Corrad. ubi Gratianus di- cat, ex eo Executors dici certos de sua jurisdic- tione, ut possint illis fidem adhibere abique eo, quod de nullitate translationis possit opponi. Et sic transumptum impressum (non tamen transum- ptum simplex confectum à Notario Corrad. n. 52.) seu impressa copia dictorum privilegiorum in eo casu sufficeret, & faceret fidem ad effectum validi- tatis hujusmodi translationis tâquam actus extra- judicialis; & satis est, inde Executorem certum esse de sua jurisdictione. Corrad. n. 49. Quamvis in Ju- dicio parte opponente ad effectum concludentis probationis requireretur tunc quoque subscriptio Notarii, & sigillum alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ, pro ut Rota distinxit in Lucana pens. 17. Febr. 1592. Corrad. cit. n. 49. Et hinc pensionarium, si transferat extra Urbem parte op- ponente teneri exhibere transumptum tale im- pressum cum sigillo, & subscriptione notarii, & prædictæ personæ in dignitate constitutæ, existen- tium, ubi literæ originales facultatum, & privile- giorum sunt cognitæ etiam ipsis Executoribus in eadem urbe, & stante impressione in ea facta, & in Bullario inserta, ait Corrad. n. 50. Unde etiam ait, practicari, ut qui ex privilegio impresso in curia Romana volunt transferre suas pensiones, si ipsi tempo-